GLoriosissimo, Potentissimo, atque invictissimo Principi, & Domino Domino Josepho Primo ab Austriâ Divinâ favente Clementiâ electo Romanorum Imperatori semper Augusto, nec non Serenissimo, & Reverendissimo Principi, ac Domino Dei, & S. Sedis Apostolicæ gratiâ Archi-Episcopo, & Electori Coloniensi, sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellario; Illustrissimis quoque, & Reverendissimis in Domino nostro JESU Christo Patribus, & D.D. D.D. Nuncio Apostolico ad tractum Rheni residentibus, & Episcopis Archi-Episcopatui Coloniensi vicinioribus, eorumque, & cuilibet ipsorum in Spiritualibus, & temporalibus DD. Vicariiis, seu Officialibus Generalibus; Universis quoque, & singulis DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Thesaurariis tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Canonicis, Parochialiúmque Ecclesiarum Rectoribus, Archi-Præsbyteris, Curatis, Plebanis, Cappellanis, ceterisque Personis in Ecclesiasticâ dignitate constitutis, atque Ordinum, & Monasteriorum quorumcunque Generalibus, Provincialibus, Ministris, Prioribus, Vicariis, Guardianis, Custodibus Fratribus, Monachis, Ceterísq; Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuscunq; per civitatem, & Diœcesim Coloniensem, ac aliàs ubicunq; constitutis, illique vel illis, ad quem seu quos præsentes nostræ literæ pervenerint, aut aliàs quomodocunque præsentabuntur, & præsertim D. Joanni Forsbach ex adverso Principali, omnibusque aliis, & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodocunque in futurum.

Aloysius Priolus J. U. D. Sanctissimi D. N. Papæ Cappellanus, ac ipsius sacri Palatii Apostolici Causarum, nec non Sacræ Rotæ Auditor, & Judex Commissarius ab eodem Sanctissimo D. N. Papa specialiter Electus, & Deputatus, salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhiberi, ac in commissis diligentiam facere, nostrisque hujusmodi, imò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis quòd latis aliàs tribus sententiis conformibus in causâ vertente inter R. P. Paulum Aler Principalem instantem ex unâ, & D. Joannem Forsbach Rectorem Magnificum Universitatis studii Generalis Coloniæ ex adverso Principalem partibus ex alterâ de & super revocatione, annullatione, & infirmatione sententiæ aliàs latæ per eundem D. Joannem Forsbach, *super combustione cujusdam libelli,* sive Appendicis à Dicto Patre Aler tunc Sub-Regente Collegii trium Coronarum Societatis JESU dictæ civitatis Coloniæ editi, *& expunctione ejusdem à matricula Universitatis* prædictæ, rebúsque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latiùs deductis; PRIMA nempe *per D. Hermannum Josephum Latomum Judicem Apostolicâ authoritate à Reverendissimo Nuntio ad tractum Rheni residente deputatum*; SECUNDA verò *in nostro sacræ Rotæ Auditorio per R. P. D. Franciscum Caffarellium Coauditorem nostrum.* TERTIA demum *per Reverendissimum D. D. Bernardinum Scottum* pariter Coauditorem nostrum, favore tamen *prædicti R. P. Pauli* Aler *contra & adversùs prædictum D. Magnificum Rectorem Joannem Forsbach* ex adverso Principalem, quarum vigore idem Reverendissimus D. D. Bernardinus Scottus aliàs, & sub die decimâ sextâ Januarii 1705. seu pro omnimodâ executione, & adimplemento prænarratarum sententiarum, & contentorum in illis, *literas, sive processus executoriales pro parte, & ad instantiam dicti R. P. Pauli Aler* ùt suprà Principalis Instantis, *contra & adversùs enunciatum Magnificum Rectorem D. Joannem Forsbach Adversarium* extra Romanam Curiam, & ad partes relaxari, & ex pediri mandavit, prout ex ejus desuper expeditis literis, ad quas quantùm opus sit condigna habeatur relatio.

Postea verò pro parte Dicti D. Rectoris Magnifici habitus fuit recursus ad supremum tribunal Signaturæ justitiæ prælibati sanctissimi D. N. Papæ ad *retardandam Literarum Executorialium desuper expeditarum effectivam executionem*, quod quidem supremum signaturæ justitiæ tribunal canonizando, & emologando sententias ùt suprà latas causarum hujusmodi *in devolutivo* TANTUM *commisit* vigore specialis commissionis, sive supplicationis scedulæ nobis Apostolicâ authoritate præsentatæ sub die 27. Novembris proximè elapsi, cujus tenor talis est, videlicet.

Beatis-

Beatissime Pater. Dignetur S. V. causam, & causas Appellationis, & appellationum, nullitatis & nullitatum ex tribus iniquitatis & notoriæ injustitiæ, attentatorum, & innovatorum quorumcunque, nec non restitutionis in integrum, prout de jure saltem ex clausulâ generali, *siqua mihi &c.* infra legitima tempora interpositæ & interpositarum pro parte illius Oratoris Joannis Forsbach Rectoris Universitatis studii Coloniæ à decreto definitivæ, sive sententia definitiva per R.P.D. Scottum sacræ Rotæ Auditorem lata, seu facta de & super revocatione omnium gestorum per eundem S. V. oratorem contra formam edictorum favore Rectoris Societatis JESU, & P. Pauli Aler, rebusque aliis unâ cum omnibus suis incident., dependent., emergent., annexis, connexis, totoque negotio Principali, ac quam & quas &c. alicui alteri ex sacri vestri palatii Apostolici causarum Auditoribus, audiendas, cognoscendas, decidendas fineque debito terminandas committere, & mandare cum facultate citandi, inhibendi dictos Adversarios, omnesque alios &c. attentata, & innovata quæcunque imprimis & ante omnia prout de jure revocanda, fatalia quatenus durent, proroganda, quatenus verò lapsa sint, oratorem adversùs eorundem lapsum, & rem judicatam pariter prout de jure restituenda, aliaque facienda, dicenda, gerenda, exercenda, & exequenda in præmissis, & circa ea quomodocunque necessaria, & opportuna, præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis stylo Palatii, & Curiæ, ceterisque contrariis, non obstantibus quibuscunque statum &c. pro plenè &c.

De mandato Sanctissimi Domini N. Papæ audiat Magister Aloysius SINE PRÆJUDICIO LEGITIMÆ EXECUTIONIS TRIUM CONFORMIUM, citet, inhibeat, revocet, proroget, restituat, procedat, ùt petitur, & justitiam faciat. J. Columna Reg.

Placet D. N. Papæ SINE PRÆJUDICIO LEGITIMÆ EXECUTIONIS TRIUM CONFORMIUM. D. Cardinalis Spada. Cujus vigore commissionis nos in causâ præfatâ procedentes, transportatis prius coram nobis processibus aliarum præcedentium Instantiarum desuper habitis & factis, illisque judicialiter repetitis causam prædictam in sacra Rotâ proposuimus ad effectum per Reverendissimos PP. DD. Coauditores nostros disputandam, & resolvendam, AN CONSTARET DE RE JUDICATA, sive potiùs DE CAUSIS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Cujus quidem causæ meritis medullitus per eosdem Reverendissimos

PP. ventilatis affirmative tandem quoad primam, & negativè quoad secundam partem particularis dubii Causæ prædictæ responsum fuit. Post cujus causæ resolutionem extensa per nos decisione, ùt moris est, ad expeditionem illius juxta ordinem sacræ Rotæ procedere volentes, nisi primitus & diligenter per nos recensitis omnibus actis & juribus hinc inde actitatis habitis, & factis, dictoque Magnifico Rectore ex adverso Principali super præmissis satis superque, & ex superabundanti per suos Procuratores, & advocatos audito, servatisque pariter de stylo hujus nostri Sacri tribunalis servandis, tandem per cursores sanctissimi D. N. Papæ personaliter citari fecimus, & mandavimus D. Angelum Paulinum in Romanâ curiâ Causarum & prædicti D. Joannis Forsbach ex adverso Principalis Procuratorem ad videndum in vim sententiarum, & rei judicatæ taxari, & moderari desuper expensas, illasque taxatas, & moderatas solvendas, & tam pro illis, quàm pro contentis in eisdem sententiis, & re judicatâ decerni, & relaxari mandatum executivum, & decretum desuper necessarium, & opportunum interponi ad diem infrà scriptam. Quâ adveniente comparuit legitimè in judicio coram nobis D. Franciscus Fares, in Romanâ Curiâ causarum, & dicti R. P. Pauli Aler Principalis Instantis Procurator, & eo nomine exhibita in actis schedula designationis suprâ dictarum expensarum pro parte suâ in hujusmodi causâ factarum, illas taxari, & moderari, & tam pro illis, quàm pro aliis in dictis sententiis, ùt suprà latis, contentis mandatum executivum favore dicti R.P. Pauli Aler concedi, decerni, & relaxari per nos debita cum instantia postulavit.

Nos tunc Aloysius Priolus Auditor, judexque Commissarius deputatus præfatus attendentes petitionem, & instantiam hujusmodi fore justas rationique consonas, & quod justa petenti non sit denegandus assensus, dictas expensas taxavimus, & moderati fuimus in ducatis quatuor centum viginti tribus cùm dimidio aureis, juliorum duodecim pro quolibet ducato, mandatumque executivum contra, & adversùs prædictum D. Joannem Forsbach ex adverso Principalem decrevimus, & pro eisdem expensis relaxavimus, prout concedimus, decernimus, taxamus, & moderamur, ac expediri mandamus in formâ solitâ, & consuetâ per præsentes, & propterea Apostolicâ authoritate nobis commissâ, & qua fungimur in hac parte vos Gloriosissimum, Potentissimum, Invictissimum, & Catholicum Principem, ac DD. Josephum Primum ab Austriâ Electum Romanorum

norum Imperatorem ſemper Auguſtum , ac Sereniſſimum, & Reverendiſſimum Principem , & DD. Archi-Epiſcopum,& ſacri Romani Imperii Electorem Colonienſem,antedictos intuitu juſtitiæ,& ob ſacræ ſedis Apoſtolicæ Reverentiam ad præſentium noſtrorum mandatorum , imò veriùs Apoſtolicorum executionem benignè permittendam, etiam atque etiam in Domino exhortamur atque rogamus.

Vos verò omnes alios, & ſingulos, quibus præſentes diriguntur,vel aliàs quomodolibet præſentabuntur, requirimus, & monemus primo,ſecundo, tertio, & peremptorie, vobiſque & veſtrûm cuilibet in ſolidum committimus,& in virtute ſanctæ obedientiæ ſub mille. Ducatorum auri de camerâ locis piis arbitrio noſtro applicandorum , & pro illis mandati executivi, & in juris ſubſidium quoad Illuſtriſſimos,& Reverendiſſimos in eodem Chriſto PP. & DD. DD. Nuncium Apoſtolicum,& Epiſcopos prænominatos interdicti Eccleſiaſtici,quo verò ad ceteros excommunicationis, aliiſque ſub ſententiis cenſuris & pœnis præcipiendo mandamus,quatenus ſtatim viſis, acceptiſque præſentibus,& poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti pro parte , & ad inſtantiam dicti R. P. Pauli Aler , ſive alter veſtrûm fuerit requiſitus prænominatum D. Magnificum Rectorem Joannem Forsbach ex adverſo Principalem , *Per omnium & quorumcunque ejus bonorum ſtabilium , mobilium,ſe moventium , & aliorum quorumcunque cujuſvis generis,& ſpeciei ubicunque poſitorum,& exiſtentium , & ad ipſum D. Magnificum Rectorem quomodocunque ſpectantium* SEQUESTRATIONEM, EXECUTIONEM, SUBHASTATIONEM, deliberationem,& OMNIMODAM DISTRACTIONEM, ac per alium quemcunque modum Canonicum vobis magis placitum,& beneviſum ad dandum, ſolvendum, & effectivè EXBURSANDUM prædicto R.P. Paulo Aler, ſive ejus legitimo Procuratori pro eo dictos ducatos quatuor centum Viginti tres cum dimidio auri de camerâ juliorum duodecim pro quolibet ducato unà cum aliis ducatis tribus ſimilibus pro expenſis præſentis noſtri mandati cogatis,& compellatis,cogique & compelli faciatis, & procuretis à præmiſſis non ceſſantes, donec dicto R.P. Aler,ſive ejus legitimo Procuratori fuerit integraliter ſatisfactum , aut aliud à nobis, vel ſuperiori noſtro receperitis in mandatis. Alioquin ſi præmiſſa omnia, & ſingula non adimpleveritis, quod non credimus , ſive forſan dictus D. Joannes Forsbach exadverſo principalis, dictas expenſas realiter,& cum effectu non ſolverit,mandatiſque,monitionibus, & inhibitionibus noſtris hujuſmodi, imò veriùs Apoſto-

licis

licis non parueritis, vel paruerit, Nos ex nunc pro tunc, & quando &c. in vos, ceterosque omnes, & singulos in præmissis culpabiles, & præsentium executionem forsan impedientes, & differentes, ad pœnarum sententiarum, & censurarum ùt suprà comminatarum pronunciationem, & fulminationem, servata in his forma sacri Concilii Tridentini justitiâ mediante procedemus. Absolutionem verò in præmissis nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum fidem &c. datum Romæ apud S. Mariam majorem sub anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo, Septingentesimo Sexto, indictione, 14. die verò secunda mensis Julij Pontificatûs autem sanctissimi P.N.D. Clementis divinâ providentiâ Papæ XI. anno ejus sexto, præsentibus DD. Michaële Angelo Cæsarino, & Michaële Mendo Connotariis testibus.

(L.S.) Et quia Ego Ludovicus Pinus Romanus Civis sacri Palatii Apostolici causarum & sacræ Rotæ Notarius de præmissis rogatus fui, ideo præsens publicum instrumentum mandati executivi pro expensis taxatis subscripsi, signavi, & publicavi requisitus.

Pro copia cum originali diligenter collationata & concordante subscripsi ad hoc specialiter requisitus

BALTHASAR HAVELS Notarius Apostolicus in Collegio Archivii Romanæ Curiæ Scriptorum specialiter approbatus. m.p.